

OK. 280.

VOTIVORUM

XENIORVI

SGHEDIA,

V. CL.

Z  
f  
6713

JOHANNI ZECHEN-  
DORFFIO

*diversis annis*

oblata

X 2121520

CHRISTIANO DAUMIO.

Ennod. lib. VIII. Epist. 43.

*Nunquid aliquando ab effectu destitit, qui Deo cum fi-  
ducia supplicavit; si animus in fide non claudicat;  
& vota & votorum copia conjungantur?*

UNIVERSITÄTS-B  
HALLE  
(SAALE)



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

CYGNEÆ,


Prelo MELCHIORIS GÖPNERI

Anno M. DC. LIII.



V. CL. & Excell.  
JOHANNI ZECHENDORFFIO,  
Rectori Scholæ Cygneæ meritissimo, Collegæ  
ac Affini honoratissimo,

Εὐετηεῖαν καὶ μακροήμερον!

**O**Vos longo jam tempore sub cujuslibet Exordium An-  
ni votivos Tibi V. CL. obtuli versiculos, eorum ma-  
nipulum foras propulsum denuo ad Te ire jussi. Tenuitatis  
eos non excusabo, si qui coarguent. Sunt n. extemporanei  
maximam partem, nec in hoc, ut ederentur unquam, pro-  
fusi. Exire tamen, cum ad manum nihil esset aliud nunc,  
quo Devotionem declamarem Tibi meam, publiceque quan-  
topere obstrictus in tuis harem adhuc nominibus, testa-  
rer, passus sum. Gymnasti enim Latine Lingvæ tui, divini  
εὐρήμα] , à me jam olim, ut nôsti, instituta crebroque in-  
terrupta recensio operæ sanè prolixioris est, quam ut ha-  
ctenus potuerit absolvi, & absque Mæcenatum ope produci  
in apertum: præsertim cum à me parati ad id Indices A-  
nalogici infinitam adhuc, ante ultimam manum, Indu-  
striam sibi postulerent. In eo tamen me totum futurum, ut  
ἢν θεὸς θέλη, cum tuis Votis, tum Juventutis, ipsorumque  
adeò doctissimorum Virorum desideriis satis fiat aliquan-  
do, nec Egregium publicum defraudetur Latine omnis  
Ævi Lingvæ eximio illo nec vulgari (ita verè appello) The-  
sauro, hæc quasi Syngraphâ profiteor atque conspondeo. In-  
terea Camenas has meas, quarum olim tu Produx fue-  
ras eximius, dicatas tibi, uti gratas habuisti semper, ita  
nec nunc respues, qualescunque etiam: Quæ Saluti tuæ at-  
que Honori officiosâ pietate porro velificari neuntiquam  
cessabunt. DEUS Te, Posteritatis Bono, cui ingeniosas ru-  
as laboriosasque Earum Musarum Curas debes, diu inco-  
lumem servet. B.V. Cygneæ Id. Jan. 1653.

CHRIST. DAUMIUS.



CALENDIS JANUARIJ.

M. DC. LIII.

**Q** Vos neq; vis ferri, nec tabida pressit egestas  
Hactenus, aut dirum sustulit atra lues:  
Sed vivos salvosq; novo favor asserit Anno  
Ihova tuus, grates solvimus ecce Tibi!

Tu vitæ Dux noster eras, tu prodigus altor,

Tu toties mihi parcis amore reis.

Qualibus in natos patris clementia flammis

Ardescit, quamvis hos neget esse probos:

Talibus in scelerum flagrat tua gratia mersos

Gurgite, quâ sine nos nil nisi culpa sumus.

Nil nisi culpa sumus, nos hæc nisi gratia mundat;

Et, nisi nos servat, nil nisi pœna sumus.

Ergò tibi cuncto debentur tempore grates,

Et laudes recinant pectora nostra tuas.

Da Pater, ut præsens felicibus albeat horis

Annus, & ex voto res sua cuiq;ve fluat.

Fas sincera tui florescant dogmata verbi,

Hæreseosq; ruat sub styga pestile opus.

Discentum cœtûs tutare, foveq;ve Magistros,

Nec labor in CHRISTO noster inanis eat.

Sint Procures tua cura, quibus tua jussio cordi;

Et Patriæ serva protegitoque Patres.

Thrax cadat Æmonius, tranquillo Teutone, telis;

Oria Palladis da requiemq;ve Sacris.

A 2

Disent

US:

Discute, pestiferi si quod vitium aëris instat,  
Morbifici q̄; procul semina pelle mali,  
Terra ferat fruges, nec spes elusa colonum  
Incuset sterilis rem q̄; fidem q̄ve soli.  
Da Pater, his donis si hæc tua Gloria crescit,  
Annorum in plures nos superesse vices.

Quod si lanificæ fatalia fila Sorori  
Rumpendum est, tecum vivere in axe jube!  
Hos mecum Zechedorffia des dat corde precatûs,  
Sed ne frustra adeo, tu bone Jhova juva!

ΕΤΕΟΣΙΧΟΝ.

Nate Deo, Ios V, nos h Vn C req Vlete per ann VM,  
Vbere re, Vegetis art Vb Vs, Vsq Vebca!

C. II.

**H**unc etiam reliquis annis Zechedorffius annis  
Addidit: bis annis, quot lubet, adde DEUS!  
Sed non tantum annos, verum & super addito robur  
Corporis, & vegetæ mentis alacre bonam.  
Adde etiam placidam, depulso Marte, Quietem;  
Adde expultricem, Latitiam, eja, metus.  
Addito progeniem, & clara memoracula fama;  
Addito largarum ditia munera Opum.  
Addito prætere a qua-nosti-cunq̄, Saluti  
Utilis illius confore, Magne DEUS!  
Sic memores hymnis hymnos mea Musa parabit  
Addere, nec laudes finiet illa tuas.

ANNO

VIVE ZeChenDorff I seros MhI sospes In annos!  
VIVE & Vernantl prosperitate Vlge!

C. III.

Ue

**U**T ortus iste prosper Annus omnibus  
Eat modis, DEUM precor,  
Tibiq̄ve, Zeehedorffidum inclutum decus,  
Beatitatis advehat  
Opima dona! Pax reversa turbida  
Serenet usq̄ve pectora!  
Serâ tenace Janus arma clausum eat;  
Lues abesto pestilis;  
Famisq̄ve mactor æger Urbibus procul  
Pedem moveto pallidum,  
Et atra Cura sese ab ædibus dein  
Tuis q̄veratur exulem!  
Vigeto longum, & alba fata cernere  
Poli Tibi det Arbitr!

C. IV.

**B**Iceps IANUS, ille janitor cœli,  
Calentiore cum modò ingenî nisu  
Bonas videret ire litteras contemptum,  
Diemq̄, ferre, Zeehedorffium, lingvis,  
Tenebricosa queis nigrante Nox nube  
Fuit minata sepè sordidum occasum;  
Satis putavit haud sibi esse tot vultus,  
Ocellulosq̄, vovit hinc sibi plures,  
Et elocutus omnibus simul lingvis,  
Politie omnis huicce Vindicatori,  
Tri barbaraq̄, factionis Ultori,  
Dies sponndit ipse ter Sibyllinos.

Tuos rogamus addito Pater JANE!

ANNO

**V**IVe ZeChenDorff! tristis fera teMpora EnyVs  
EXsVperans, & post sospite sorte Vlge!

A 3

C. V.

**L** Abentis veteri tramite terminum  
Anni constituit Signifer astricæ  
Tiran militie,

Insistens itiner novum.

Metas nunc posuit præteritis malis.

Curfus decrepitus temporis annui,

Instantisq; timentur

Ævi difficiles minæ:

Dum rerum facies quæ sit, & ancipis

Fati quæ nebulæ, mens pavida exputans,

Sortis sæpe priorem

Suspirat reducis statum.

Zechendorffiadum Stirps celebrabilis,

Existi incolumis decidui graves

Ævi ritè labores,

Incedisqve novâ orbitâ.

Felices, precor, hæ sunt tibi vices,

Et vitas hilaris commoditatibus,

Nec te nubilus horror

Ullius timidet mali.

Ætatis placido longitiem tuæ

Lapsu perstabilis continuet vigor,

Quam nec bella, nec atræ

Telum frangat egentia.

Ut Rerum Dominum, totius Arbitrum

Ævi, gratisono postmodò concinas

Mecum carmine, stamus

Quo tutore superstites.

Orsus ille tuos undiq; prosperet,

Ingens ut Studiis utilitas bonis,

Quam deprædicet ætas,

Promotu adveniat tuo.

Jam

**J**Am ningve canas Jupiter annuâ  
 Albare terras plus decuplâ vice  
 Consuevit informis rigore  
 Æolio, gelidâq; crustâ:  
 Ex quo faventi pectore me tuo  
 Arctum applicasti, ceu Subolem pater  
 Dilectam, amori; multiplexq;  
 Quotidie cumulare signum  
 Sinceri amasti foederis; auree  
 O Doctiorum flos hominum, meâ  
 Nunquam ZECHENDORFFI canende,  
 Par ut erat, satis à Camenâ.  
 Duravit ardor candidus hic dein  
 Erga reversum Lipside in angulos  
 Soli paterni, fervidumq;  
 Auctificavit amoris ignem;  
 Complexu amico perpes uti tibi  
 Dies per omnes jungerer, & pari  
 Tractare Musas usq; ferret  
 Impete, dispositu JEHOVÆ:  
 Qui me profectò, non sine provido  
 Nutu, novellum consociarier  
 Labente Collegam tibi anno  
 Sanciit, & scholici laboris  
 Curare partem jussit idoneam.  
 Nunc tas rependam, quâ pote, pectoris  
 De me merentis tam benignè  
 Fida tot officia, atq; amores.  
 Habebis ergò tempore postero  
 Totum dicatum me tibi planitùs,

Uſuq; certè mancuplq;  
Jure tuus fuero per ævum.  
Te ſervet, oro, dextra DEI potens  
Inturbidum anni per creperos gradûs  
Præſentis, & torvi Gradivi  
Ultra Hypanin ferat, atqve Phafin  
Ferocitates luctificas, ſatis  
Superqve ſtagro ſanguineo diu  
In orbe bacchantis, nec iram  
Tandem inhibere ſuam potentis.  
Ut ut furenti gutture noxia  
Ringatur Ate, Pax Oleâ comas  
Incincta tellures gementes,  
Exhilarabit ovante talo:  
Fietqve porro, proſperum ut ordio,  
Anni meatum Cynthius inchoet,  
Haſq; annuatim fauſtitates  
Gaudio in occiduo recentet.  
Ceu Neſtor alter ſtes ſuper, & ſoni  
Lepore Eoi peſtora mulceas  
Multiplicato. Te fatentor  
Eximium in ingenio univerſi,  
Et arte pollentem ac meritis, frui  
Dignum Senectâ canicoloriâ,  
Precentur & diſcriminofum  
Salvus ut egrediaris annum,  
Nec ægra tabes peſtiferæ famis,  
Morbive viſulla, aut ſenium grave  
Corpuſculi ex ſuceſ vigore,  
Attenuet, perimatyve robur,

Quod



Quod ultimum oris perstet ad halitum,  
Et augeatur fortiter indices;

Rerumque visatur supellex  
Omnimodis locuples tuarum;

Voti quid ultra est? Pergat, ut antea,  
Affectus omni tempore me tuus

Fovere, selectique dignum  
Æstimet usque notam sodalis.

Sic te celebri, si mea Carmina

Quicquam valebunt, laudis adora  
Feram polorum celsa ad astra,  
Nec meritum tui honos peribit.

C. VII.

*Hymno Nobiliss. Barthii Natalitio  
oblato prefixum.*

**V**ivimus, & nostris renovato calle per Orbem,  
Sistere se votis Natalem plaudimus Anni,  
Post quadragenos obitus dum accingitur ortum  
Auricomus quartum Titan, jam emensus in alto  
Aethere sedecies à nato secula Christo.

Vivimus, & diri discrimina temporis atra  
Eximus pede inoffenso, me letemata laudum  
Debentes Domino, qui dextram vindice Martem  
Defendit Patriæ, qui primo in femine virus  
Pestile suffocans membris stata robora salvis  
Præstitit, hæcque aluit largo nutrimentis auctu.  
Quæ non est parvi res muneris. At quotus est, qui  
Vel benefactorum minimum perpendat IHOVÆ,  
Ceu dignum ac fas est? Quis vel puri aëris haustus,  
Quo sine vix momen transmittere temporis ullum

A 5

Colles

Callet homo, agnoscit divinum munus, & inde  
Reddere commeminit devoto carmine grates?  
Cætera ne referam, quævis quæ noverit hora  
Facta bene. Usque adeo meritorum vivimus omnes  
Indigni, cœli obliti, ingratiqve Salutaris!

Zechendorffiade, nobis sententia posthac  
Stet melior. IHOVÆ benefacta canamus ubiqve,  
Assiduiqve operis tractu Magnalia dia  
Personet os nostrum, quod nulla occasio fallat,  
Quia Benefactorem canat, & celebrare labore.

Hinc adeo hunc Hymnũ præsentia tẽpora sua  
Promulgare, fato de Virgine Matre sacratum; (dente  
Qui mecum si carus erit tibi, fausta tot ore  
Comprecor optanti, quot versus legeris isthoc,  
Pluriaqve optatis. Pietas tua temet amabit,  
Salvatorqve moras annorum deinde tuorum  
Amplificaturus lætæ tibi dona Quietis,  
Et re cum lautâ mentemqve artusqve valentes  
Transcribet, patriumq; olim super æthera sistet.

C. VIII.

**Q**Vem miranda boni Gratia Numinis  
Finivit veterem sidere prospero,  
Annus tramite fausto  
Ceptet cursum hodie suum:  
Et postliminiò divite copiâ  
Amixtas revehat Pacis opes solo:  
Quas desiderium omne  
Tot votis hominum expetit.  
Sit felix, miserâ nec cruciabilis  
Morborum rabie! Desit egentia

Ac

Ac penuria victus,  
Stipatis cadat horreis.  
Et tu vindice quo jure superbiat,  
ZECHENDORFFIADE, polites sacra  
Lingvarum, Pataraei  
Lux, & grande decus meum.  
Hunc Annum superes incolumis, precor,  
Et multos alios, nec dolor ædium  
Obscævare tuarum  
Possit prosperitatibus.  
Me si de superâ sede poli favor  
Mitis respiciet, membraqve languida  
Firmabit vegetata  
Rursus robore, concinam  
Grates largifluo pro meritis sono,  
Salvatoris amor quæ mihi præstitit &  
Nunc vix vile melisma  
Cannâ strideo debili.

C. IX.

JANI petunt Calendæ  
Bona verba nunc reversæ:  
Bona verba nos sonare  
Parabimus calentes.  
BENE SIT TIBI, ATQVE LÆTE,  
Zechendorffide, novo ANNO!  
BENE SIT TIBI, ET BEATE!  
Te Sospitas novato  
Corroborer vigore!  
Te Faustitas relato  
Feliciter nitore!

T

Te Pax, Quiesq̄ve, dulci  
Commulceant placore!  
At quod Timor timendum  
In ædibus ciebit,  
Ab ædibus recodat  
Tuis, joco exigendum!  
Et stringam ut ampla versu  
Minutiore Vota,  
Pericula universim  
Attra indidem exigantur,

BENE SIT TIBI! Benigna  
Tibi fila densa ab auro  
Lachesis trahat, suamq̄ve  
Dirâ à recisione  
Repulsum eat Sororem:  
Ut tricies Calendas  
Lætè, benè ac beatè  
Revisites IANI.

Bona ista Verba voto  
Sonuit pio Camena  
Rudisq̄ve futilisq̄ve:  
Rei sed ipse JHOVA,  
Magnus dator Bonorum,  
Bonæ, utili & secundæ  
Transcribet, auguramur.  
Nec enim pios precatûs  
Audire nescit ille.

G. X.

**L**Æta ferat fausto nobis novus Annus ut orra  
Cuncta, Zechendorffi, parva Camena vovet:  
Quæ

Quæ Servatorem grato Meletemate laudat,  
In cuius vixit sospes uterqve fide. (pillos,  
Nondum etenim nostros Parcæ abscidit harpa ca-  
Tu quanquam Soceri funera mœste gemis:  
Sed vivis canimus JHOVÆ præconia lingvis,  
Imbelles validâ nos quia texit ope.  
Non fera pestilitas, non Martis terror iniqui,  
Non tetigit nostros macra lucla lares.  
Pergat hic assuetæ bonitatis didere nobis  
Munera, & annoso membra vigore beet.  
Divite laudum ejus sic perpetuabit honorum  
Nomen Melpomene concita nostra sono.

Anno

Fata, Ze Chen Dorffl, sint orti Mltla Vt anni.  
Ipsa tibi Vo Veo faXit In aXe Trlas!

C. XI.

**S**ALVE! Vox esto JANU hęc mihi prima Calen-  
O Vir perpetuos vivere digne dies! (dis,  
Salve, & pro votis Annum exordire, sereno  
Quem nunc auspicio pronus Jhōva novat!  
Successum Studii tua mens persentiat, adsint  
Fama, Valetudo, rescula larga, Qvies;  
Gratia sit cunctis dia actibus afflua CHRISTI,  
Nec valeat rebus quippiam obesse tuis!  
Gratia ea, ut posthac annes det, & usqve perannes  
Innumerâ JANU vultu tuens serie!

C. XII.

**F**ELICITATE surgat ut multiplici  
Novus Annus, intimo apprecor  
Tibi ZECHENDORFFI corde; vivas integrum  
Hunc sospes, atqve plurimos:

Vivas

Vivas quiete, reque ad auctus divite  
In publicæ Rei Bonum,  
Et Gloriam Almi, qui pusilla pectoris  
Hæc vota firmet ardidi!

ANNO

VIVE Ze Chen Dorff I, lanos pera Mate, re VIVE!  
Sors bona, Pax perstans, teqve t Vosqve beēt!

C. XIII.

UT nos Gaudia centies,  
Ut nos prospera millies,  
Anno lætificent novo,  
Ortu JANE veni, veni  
Exoptate secundo!

Sat jam tristitiæ datum est,  
Sat mœroribus anxiiis;  
In nos sat fera sævit;  
Bellonæ mora, iō veni  
Ortu JANE secundo!

Exhaustos nimio tui  
Ah desiderio, tui  
Ah desiderio gravi  
Exhaustos viden' ? ō veni  
Ortu JANE secundo!

Tecum Pax comes, & Quies,  
Tecum mustea Sospitas,  
Tecum divitiæ uberes  
Adsint, & bona Faustitas  
Omne ō incolat orbem!

Ortu JANE veni sacro!  
Cedant impietas procul,

Ac

Ac vis dira: Cohors vafra  
Cedat simplicitum choro,  
Virtus regnet & Artes.

Pindi Gloria floreat,  
Cultoresq; Heliconidum,  
(ZECHENDORFFIUS inter hos,  
Ævo jam gravior, meus)  
Læto flore virescant!

illum ut gaudia millies,  
illum ut prospera millies,  
Maestent incolumem diu,  
Ortu JANE veni, veni  
Exoptate secundo!

Vivat, vivat et omnis hinc  
Oras ad Garamanticas  
Exul Langvor eat, Vigor  
Membris pristinus illius  
Veros repparet usus!

Vivat, Nestore serior  
Evectandus ad astricam  
Fato perplacido plagam!  
Vivat! Tuq; redi, redi  
Ortu JANE frequenti!

C. XIV.

Vivimus, & rabie Martis procul inde fugatâ  
Pacato JANUS blandior ore nitet.  
Qvis celsi taceat laudes, Pax Vitaq; tantis  
Materiem cujus munere præbet, Heri?  
Tu Zechedorffiade, plectro has, scio, divite panges  
Nobiscum vivus, paceq; rite fruens.

Quant

Quam gratas Cœlo has grates rear esse futuras?  
Excutiet famis hinc Orbe, Luisque cruces.  
Et quia nos tecum gratesque precesque sonamus,  
Vita tibi augetur prosperitasque magis.

C. XV.

**P**rospera quæ voveo totum hunc capiendâ per  
Zechendorfiadum gloria magna tibi, (annum  
Exsuperent numero flores, quos tempora veris  
Gignunt, & spicas quæ bona flavet humus.  
Vincant Autumnal botros, & frigida bruma  
Æthere quæ spargit, vellera cana nivis.  
Exiit nunc prorsus quicquid dolet, atque animum o-  
Postideâ expleto lætificante Bono. (memento  
Sic annum excipiant alii hunc pietate supernâ,  
Et vincas Pylîi secula dupla senis!

ANNO

CLare Ze Chen Dorfi, Iani tibi CVncta CaLenDæ  
FaVsta ferant renoVæ: VIVE VireqVe senex!

F I N I S.



Zf 6713 OK

107

M



QK. 280.

XENI

JOHANN


CHRISTIA

Ennod. lib.

*Nunquid aliquando ab eff  
ducia supplicavit; si  
& vota & votorum co*



CYC  
Prelo MELCHI  
Anno M.



# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

